



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tractatio Synoptica De Iudiciis Ad Lib: II. Decretal:  
Gregorii IX.**

**Herberstein, Ferdinand von  
Tabarelli de Fatis, Donato Vincenzo**

**Spirens., 1660**

17.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11416**

DEO, summis Pontificibus, aut aliis Principibus secularibus concessa *Baldus in L. cunctos populos de Judic.* Tertiò, quibus Ecclesiasticæ personæ rationabiliter efficiuntur timidiores. *Bartholus in capit. Ecclesia S. Maria.* quibus Clerici deterioris conditionis redderentur quàm Laici *Felinus loco citato capit. Quanto de privilegijs,* quæ generaliter latæ, Ecclesiis Ecclesiasticisque personis, aptæ sunt per se, & ex proprio objecto damnum aut incommodum adferre, *Felinus ibidem num: 69. Abbas in cap: Quæ Ecclesiarum num: 6.* quæ de Ecclesiis Ecclesiasticisque personis specialiter ac nominatim disponunt, sive mandando sive prohibendo, idq; sive in præjudicium sive in favorem, *citatum cap: Ecclesia S. Mariæ de constitut.* nisi solvantur in vim consilii sive privilegii, nam consilium vel privilegium necessitatem non imponit. *Surdus lib. 1. consil: 2. num: 19. & libr: 3. consil: 301. num: 13. & 24.*

17. Ex prædictis porrò descendendo ad casus particulares. Dicimus primò constitutiones civiles, quibus obligantur Clerici ad emptionem aut venditionem cer-

tarum rerum, tritici, vini, olei, salis &c. nullas esse, casu communis necessitatis secluso. colligitur ex quadam declaratione Cardinal. facta consulto Pontifice Anno 1631. die 21. Jan: & favet cap. Ecclesia de constit: 2. constitutiones Principum quibus prohibent, ne Bullæ Pontificiæ in causis Ecclesiasticis ad provincias directæ promulgentur, priusquam ipsi Principi, ejusq; Officialibus recognoscendæ offerantur, aut de ejus facultate publicentur, nullæ sunt, non quidem nostrâ sententiâ, qui in hoc nihil decidimus, sed aliorum placitis. Azor: tom: 1. lib 5. cap. 24. q. 4. & 3. in fine Covar. pract: q. cap. 36. 3. constitutiones quæ infirmant contractus, vel testamenta, aut inhabiles reddunt personas ad contrahendum vel testandum in pœnam delicti proprii vel parentum: quia tales leges pœnales sunt, & vim coactivam continent, indeoq; ad Clericos extendi non possunt. Lay: in cit: cap. Ecclesia 7. de constit: 4. quæ homines directè avocant à statu Religioso, v. g. si statuatur, quod ingredienti in Religionem non possint succedere in hæreditate Abbas sup. in cit: cap. Ecclesia num. 35.

5. constitutiones quibus Principes in casu malè administratæ justitiæ concedunt Clericis appellationes tuitivas contra suos ordinarios, eosq; edicto cogunt, ut à vi appellanti illata desistant, iniquè gravatos restituant &c. *Martha par: 4. centur: 2. casu 164. Can: qualiter & quando de judic: Can: si quis Clericus. Can: placuit. Can: Christianus. Can: Clericum. 11. q. 1. Barbos: in collect: lib. 2. tit. 2. cap. 10. n. 1. Azor tom: 1. lib. 5. cap. 14. qu. 2.* 6. illæ constitutiones, vi quarum causæ Clericales, qualis est possessoria beneficii, dum Clericorum unus alterum beneficio iniquè dejicit, aut etiam Laicus Clericum in possessione perturbat, ad seculares Judices deferri, & ab iisdem cognosci præcipiuntur *Clementina 1. de causa possess: Azor: tom: 1. lib. 5. cap. 14. q. 1. Diana. s. p. tr. 1. resol: 27.* 7. statuta Principum statuentium, ne in sua provincia Ecclesiæ, vel monasteria constituentur sine sua licentia. *Dist: 1. de consec: cap: nemo concilij Aurelianensis. Decretales sub tit. de Ecclesiis adificandis & reparandis. Authent: de Ecclesiæ ritibus. Iustinianus in L. sancimus. §. si quidem C. de Episcopis.* 8. Statuta inhibentia aliena-

tionem bonorum stabilium in Clericos sine licentia Principis: *Martha de jurisdict: part: 4. cent: 1. casu 6. num: 16.* Barbosa ad lib: 1. *Decretalium in collect: tit: 2.* Felinus in cap. *Ecclesia S. Mariae de constitut: in 6.* idemque est de iis, quibus prohibentur bona alienare in non subditos etiamsi mentio Clericorum expressa non fiat, *Azor. sup. q. 5. contra Molin: tom: 1. de Justit. tr. 2. disp: 140. num: 18.* aut quibus Princeps statuit, ne suis privilegiis fruantur, qui Subditi non sunt, quia licet huiusmodi statutis de Clericis nihil nominatim disponatur, derogatur tamen iis in eo, quod jure communi eis competit, ut patet ex *Cap: constitutus de restit: in integrum contra Azor supra cap: 13. q. 4.*

18. Cæterum si leges civiles, quæ specificè de rebus & personis Ecclesiasticis aliquid statuunt, autoritate Summi Pontificis fuerint approbatæ, tunc validæ sunt, & Clericos obligant, non ex vi potestatis secularis, sed potiùs Ecclesiasticæ, à qua sunt confirmatæ *cap. Ecclesia de constitut: c. Can: 1. dist: 96.*

19. Regulariter tamen leges positivæ